



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XIX. De refugio pauperis as Deum adiutorem suum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

CAP. XIX. De refugio pauperis ad Deum adiutorem suum.

**T**ibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Beatus ille pauper, cui Deus est adiutor in omni tribulatione sua, consolator in angustiis, unica spes & confidentia in extremis, corona gloriæ in regno æternæ beatitudinis.

*Psal. 9.*

Pretiosa virtus voluntaris paupertas assumpta pro Christo, cuius merces æterna permanet cum Angelis in cœlo, quo fur non appropriat ad furandum, nec raptor ad prædandum, neque latro ad occidendum.

*Voluntariæ paupertatis encomia.*

In multis periculis & curis quotidianis sunt divites hujus seculi, à quibus liber est servus Christi, renuncians omnibus quæ sunt mundi.

Magna libertas animæ fidelis, quæ nil proprietatis habet in aliqua re mundi propter regnum Dei & amorem Jesu Christi, sed omnia possidet in Christo, qui

Qq 7

pro

pro nobis pauper & dolens factus. Qui pendens nudus in cruce, non habuit ubi caput suum reclinaret, vel manum aut pedem usquam moveret.

Christus  
ea excel-  
lyit.

Quis huic pauperi in omnibus indigentis similis? Vere nullus. Propter hoc exaltatum est nomen ejus solius, super omnia in caelo & in terra, & super omnia benedictum in secula.

*O bona pauperies, nisi te Deus ante tulisset,*

*Nunc tua durities cunctis despecta fuisset.*

Felix paupertas rerum, quæ tollit superbiam oculorum, & occasionem multorum vitiorum, z. Vere ille est pauper spiritu, qui de nullo verbo & facto bono superbit, nec in altiore gradu esse cupit, ne gravius cadat.

O quàm magna virtus abdicata paupertas, nil habens in proprio; quæ animæ aperit cœli portam, auget gloriæ coronam, & cum Martyribus meretur accipere patientiæ palmam, post hujus vitæ angustiam, in Christi servitio consummatam.

Nam

Nam hoc est veraciter & fideliter Christo servire, pro ejus amore penuriam, & alia multa incommoda sustinere.

Felix, qui pro Christo pauper.

Beatus, qui de necessitate & infirmitate sua facit virtutem; & de omni quod patitur, sequitur Dei voluntatem.

Noli ergo pauper nimis contristari, cum inopiam pateris; nec indignari, si derideris, aut ab amicis tuis relinqueris.

Converte cor tuum ad Christum, pauperem pro te factum & infirmum; quære solatium tuum à Deo, & in Deo solo, si optas semper esse in gaudio. Nam omnia alia solatia foris quæsita, nulla sunt, nec durant, nec sufficiunt, quantumcūque videntur magna.

Et ab ipso solatium inopie quæris;

3. Elige itaque Jesum Christum Dei filium, in specialem amicum & cognatum tuum, reliquos omnes relinque propter Christum.

Cave omnem socium volentem te impedire à sancto servitio Christi, & trahere ad seculum & portas inferni. Lata est enim via, quæ ducit ac inferos; & multi sunt,

Matt. 7.

sunt,

sunt, qui intrant per eam, ait Jesus Christus,

**Huc enim  
solus ipse  
sufficit;**

**2. IOAN. 2.**

Solus ipse sufficit ad perfectum solatium habendum, qui potest dare regnum cœlorum, omnibus relinquentibus regnum mundi, & omnem ornatum ejus.

Transit enim mundus, & concupiscentia ejus, tanquam fumus venti, & flos agri arefcens.

Sta ergo frater paupercule, firmissime in bono proposito semper serviendi Deo; & permane cum fratribus tuis, die ac nocte in laboribus multis, in loco isto quem propter Deum primitus elegisti; & parentes ac cognatos sponte reliquisti, & integre te Deo obtulisti, ut etiam cum eis maxime congaudeas in regno Christi, & omnibus sanctis.

Nam pro parvo labore & brevi dolore in mundo, reddetur tibi æterna requies in cœlo.

Recogita sedulo sacra vulnera Christi, & acerba ulcera pauperis Lazari, & proderit tibi in agone, quando debes mori, & de hoc mundo transire.

CAP,